

1433

P O L E M I C I

1434

CCCLXXVI.

877 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 11. f. inscribitur: *Epitome Totius Alcorani, Legis Sarracenorum. Orationes Arabum.* Carptim delibantur Indicis in morem Notabilia quaedam maxime Moralia, idque ordine *Surarum*, hujusmodi initio: *In Deo iram et misericordiam ponunt. Quod in se ipso Verum est, solis puris, quale est, uidetur. Quos Deus obdurauit, nemo molliet aut instruet. Qui ore non opere virtutem laudant, se ipsos decipiunt, nihil aliud nisi detrimentum animæ suæ curantes.* &c. Abrumpitur Codex in *Sura XVII.*

CCCLXXVII.

525 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 345. 4. probe scriptus, rubricisque distinctus continet: I. *Traçtatum de predicacione crucis contra Sarracenos*, qui, ut e *Cod. CCCLVI.* repeto, pertinet ad *Humbertum de Romanis O. P. Magistrum Generalem.* Ast non parua inter utrumque Exemplum differentia, dum unum altero jam uberius, jam succinctius est. Atque ut de praesenti dicam, incipit illud: *Ad domini nostri saluatoris ihesu christi gloriam et honorem et sancte matris ecclesie utilitatem ac fidei orthodoxe dilatacionem ea que infra scripta sunt de predicacione crucis contra Sarracenos &c.* et mox omiffis, quae *Cod. CCCLVI.* subjunguntur, monitis, Conspectum ex-

hibet *Capitulum VIII.* qui ibi non habetur. Est vero infidus hic Conspectus; *Caput enim VIII. de Thematibus ad predicandum de cruce accipienda*, in decursu Operis non comparet. Absunt etiam *Capita illa V.* quae in *Cod. cit.* finem totius Operis constituunt. Ut adeo Exemplum illud praesenti anteferendum censeam. Causam differentiae Autor ipse praebuisse videtur, dum in Ingressu de Praedicatoribus ita scripsit: *Qui vero ad hujusmodi predicacionem magis sunt idonei, occasione sibi data plura addere possunt et meliora. Alij vero qui in predicacione gratiam habent excellentem ex materia eis rudi proposita tanquam prudentes artifices producant opus pulchrius et magis formatum.* Hac itaque venia usos fuisse quosdam, non est incredibile.

II. *fol. 29. p. 2. Reuerendo magistro Nicolao Tynkelspüchel Sacre pagine professori Brandi (Castellioneus Mediol.) miseratione diuina tituli sancti Clementis Sancte Romane ecclesie presbiter Cardinalis Placentinus uulgarter nuncupatus Sedis apostolice legatus Salutem in domino sempiternam.* Celebrem hunc Cardinalem, cujus vitam enarrat *Alph. Ciaconius T. II. col. 801.* cum *Bulla Crucata contra Wiclefistas* in Germaniam ablegarat *Martinus V.* Adpulsus ille has ad Theologum nostrum *Viennensem* dedit literas. Earum initium: *Ex debito legacionis per sedem apostolicam nobis iniuncte cum ubilibet adesse nequeamus vobis tenorem infrascriptorum*